



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Stanislao Hosio conciliatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

conuictum liberos primi tradidere. Ergo in tanta temporum labe, & corruptione, præcipitiq; quodam lapsu, ac potius furiosa ruina in hæresim, apparet quantum Austria beneficij à Deo per Canisium acceperit.

Eodemq; tempore in alienas quoq; Prouincias, atq; regna per eius nomen, & operam Deus societati aditum præparabat. Nam Strigoniensis Archiepiscopus in Hungaria, Transylvanus in sua Prouincia Collegia offerebant: & instabat Vratislauiensis apud Regem Romanorum, & Nuntium Apostolicum per literas, & Legato misso. Ad hæc Martinus Cromerus (cuius extant de Polonia rebus laudatæ Historiæ) cum Legatus à Sigismundo Rege ad Ferdinandum venisset, Canisij captus sancta, doctaq; consuetudine, cognitaque societate, eam Polonis Principibus, maximeque Stanislao Hosio Varmieni Episcopo, posteaque Cardinali plurimum commendauit. Atque Hosius vt erat vir egregiè doctus, & ardens studio religionis, iam tum in cogitationem venit Societati Collegium excitandi in sua Diocesi; & Canisium ita diligere, facereq; tanti cœpit, vt eius consilia multum exquireret, præsertim de operibus,

*Spargitur
Societatis
fama per
Canisium.*

*Stanislao
Hosio con-
ciliatur.*

*Fervor eius
ac zelus ma-
ximus.*

quæ moliebatur: & opera ipsa ad eum recognoscenda mitteret. Nimirum facillimè pares, ut in veteri proverbio, cum paribus, præcipueque Christiani sapientes inter sese conglutinant. Hoc autem aditu præcepto Canisius iam non Poloniam modo, & Lituaniam, sed etiam in Moschos, ultimosque Scythas, ac Tartaros, & inde per usque in Sinas, ac totum Orientem suæ caritatis amplitudinem, & immensam Christi gloriæ ceteris gentibus prædicandæ cupidinem extendebat, magna voluptate beatum Ignatum, cæteraque replens Romanos Patres, cum capax illorum gentium omnium, & ærumnarum omnium prædictus in literis eius intuebantur. Sed, dum terra vel ultimis finibus imminet, omnium acerrime ad sese Albertus Bauarus, ob eam causam etiam Henrico Scouickero, quo utebatur à secretis, urbem misso, euocabat. Itaque & aliorum, & eius maxime contentione commotus Rex Ferdinandus, veritusque ne propugnaculo Vienna tali non daretur, per studiosas ad Ignatum literas dedit, in quem inde Doctorum auocare, sed eorum potius augere numerum placeret; simul opportunitatem ostendens rei bene gerendæ in ea Academia

mia,